

Oxford and Cambridge Board Higher School Certificate Latin  
Prose Composition (Distinction) 1950

Ubique constat nos ipsos nostraque bona Re Publica defendenda esse. si tamen educationem sustuleris, quam rationem hoc faciendi relinquis? superest enim ratio talis qualem sola necessitas vindicare potest, quae denique cruciatu terribili non modo noxios afficere potest sed etiam innocentes noxiis coniunctos. relinquis carceres, vincula, cruces. vide ergo ut res se habeat. exstat finis qui magistratibus, ut inter omnes constat, necessario attingendus est. cuius duo exstant modi, alter homines meliores sapientioresque facere, alter famosos miserosque. quis dubitare potest utrum modum praeferre debeamus? nonne mirum et vix credibile est homines pios et benevolos sententiam animo serio proponere magistratui necesse esse simul punire simul se a praeceptis dandis abstinere? num licet sine dolore sine luctu aestimare plus dimidio eorum miserorum qui nostro tempore ex rupe Tarpeia praecipitati sunt adhuc bene vivere posse si partem eius pecuniae minimam in probis educandis expendissemus quam in quaerendis scelestis et cruciandis impendimus.